S. D. N. D. GREGORII. PP. XIII

DECRETVM

Quod in cauſis ſpoliorum ad Theſaurarium & generalem Collectorem tantum appellari poſſit, & debeat.

GREGORIVS. PAPA. XIII

MOTV proprio &c. Cognoſcentes quam frequenter contingat, quod non nulli qui bona per eccleſiaſticas perſonas relicta ſpolia nuncupata quæ ad noſtram Cameram apoſtolicam pertinent, occupata detinent, uarijs prætextibus & calumnijs dilationes & ſubterfugia quærentes ad illorum ſatisfationē & conſignationē effugiendā friuolas appellationes & prouocationes à ſubcollectorum & miniſtrorum per noſtrum Theſaurarium generalem, cui in uniuerſa Italia dictorum ſpoliorum præcipuam curam dedimus, deputatorū proceſsibus, decretis, ſeu ſententijs interponentes cauſas ipſas diuerſis iudicibus non informaris, & ubi non eſt qui huiuſmodi expeditioni uacet, modo per ſignaturam noſtram, ſeu Cancellariam, modo per Cameram apoſtolicam committi procurant, & quandoque inhibitiones ſumma cum malitia extorquent, tribunal dicti noſtri Theſaurarij, cui hęc iurisdictio peculialiter demandata eſt, ſubterfugientes, quo fit ut ſpoliorū exactio quæ quā celerius fieri deberet, diutius retardetur in magnā Camerę præfatę leſionem: Nos attendentes quod per quamplures Rom. Pontif. prędec. noſtros & nos ſtatutum fuit, quod omnes & ſingulę cauſę, lites & controuerſię ſuper quibuſuis ipſorum ſpoliorum negotijs à nullo alio quam à Theſaurarijs, & pro tempore deputatis generalibus Collectoribus, ſeu ab eiſdem deputatis ſubcollectoribus cognoſci, nec alteri niſi per Commiſsiones manu noſtra ſignatas committi & delegari poſſunt, citato etiam pro tempore exiſtēte eiuſdē Cameræ Commiſſario generali: Et quod licet pro ſpolijs exigendis dictus Theſaurarius, & generalis Collector in uarijs locis ſubcollectores deputet, eos tamen quotiens ei uidetur reuocandi facultatem habet, & propterea in huiuſmodi negotijs ſemper remanet iudex, & ad ipſum à ſententijs & grauaminibus ſubcollectorum præfatorum eſt appellandum: Nihilominus uolentes hiſce incommodis prouidere, & malitijs hominum obuiare, Motu proprio &c. decernimus & declaramus, quod de cetero à proceſsibus decretis & ſententijs etiā diffinitiuis ſubcollectorum & miniſtrorū à dicto noſtro Theſaurario & pro tempore exiſtente ſpoliorum & iurium Cameræ generali Collectore deputatorum, non ad nos, nec ad Cameram apoſtolicam, ſed ipſum tantum nunc & pro tempore exiſtentē Theſaurarium, & Collectorem appellari poſsit & debeat: Quòdque appellationes, prouocationes, & recurſus aliter & contra præſentium tenorem interpoſitę nullius ſint roboris & momenti, nullumque effectum nec deuolutiuum nec ſuſpenſiuum habeant. Quocirca dilectis filijs Aloyſio S. R. E. Camerario, & Cameræ apoſtolicæ Clericis & Præſidentibus, ac omnibus Ro. Cu. Iudicibus tam ordinarijs quam delegatis cuiuſcunque gradus &c. In uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtrę pœna præcipimus & mandamus, ne in quibuſuis cauſis & negotijs ſpoliorum, illicitarum negotiationum, ac fructuum uacationis tempore obuentorum ad Cameram noſtram ſpectan. aut ab ipſis quomodolibet dependen. incidentibus, emergētibus, annexis, & connexis, aut cauſas cōmittendo, aut inhibitiones decernēdo uel relaxando, ſe ſe nec in prima nec ulteriori inſtantia aliquo modo ingerant & intromittāt. Nos enim dictas appellationes, prouocationes, recurſus, cautarū commiſsiones, inhibitiones, ac alia quęcunque inde ſecuta decernimus ex nunc irritas & inanes & nihilominus uolumus & mandamus, quod tam Theſaurarius & generalis Collector, quā ſubcollectores & miniſtri præfati abſque aliquo ſcrupulo & pœnarum incurſu illis reiectis ad ulteriora in cauſis procedere poſsint & debeant, partibus alias iuxta facultates eī conceſſas iuſtitiā miniſtrando. Et ſi quando ad Cameram ſeu alios præfatos ſuper cauſis antedictis recurri contigerit, uolumus quod ſtatim et abſque circuitu per Camerā et alios dictæ cameræ ad eundem Theſaurarium et Collectorem directe dimittantur: ſicque per quoſcunque etc. etiam in pendentibus cauſis iudicari et diffiniri debere, ſublata etc. Irritū etc. Non obſtātibus etc. Volumus inſuper, quod præſentis motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, etiam abſque data, et regiſtratura, et ubique fidem faciat, regula in contrarium non obſtan. etc.

Placet Motu proprio V.

ROMAE, Apud heredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. Anno M. D. LXXX.